ὡς μύρμακες ἀνήριθμοι καὶ ἄμετροι.

Quarum planici conſarcinatores, ſi quid luce cenſuraque publica dignum elucubrati fuerint, theatrum hic invenire poterant apertum, in quo, miſſis aliorum jam occupatis partibus, ſuam ipſi Muſam exſultare juberent. Nihil enim hic prius, nihil antiquius haberi intellexerint, quam ut accurate diligenterque excogitata, in elegans & ſenſibus prolixius, quam verbis aut mole compendium contrahantur, cum recte alicubi Demoſthenes pronunciet: οὐ τὸ μέγα εὖ ἀλλὰ τὸ εὖ μέγα. Non quod magnum, bonum: ſed quod bonum, magnum.

Jucunda hæc fuerant omnia. Cum vero Criticas quoque artes & humanitatis ſtudia, fati injuria dicam an ſeculi invenuſtate, neglecta, in eandem Bibliothecam admitti, imo etiam invitari, excitari, & peramanter excepta foveri ornarique animadverterem, non jam in ſinu gaudebam, Germaniæ priſcum ex literis ſplendorem auguratus, ſed effuſa bacchatus voluptate plauſus teſtem erupi veterem formulam: Δότε κρότον, καὶ πάντες μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Primus adeo Tomus, doctiſſimorum parentum fetus, cum ſecundinis liberatus in lucem prodiiſſet, incredibili ejus perluſtrandi aviditate inflammatus incidi in Critica Cel. Heumanni auſpicia, Novem Virgilii locorum Emendationes pag. 477. inſertas. Fama veterani in his literis Palæmonis & Ariſtarchi multa & magna minabatur, tantoque cupidius ex ungve hoc leonem agnoſcere geſtii, quanto rariorem ad ſcripta celebratiſſimi Polyhiſtoris devertendi copiam tempora illa mea indulſerant. Nec præcepta mente opinio omnino augurantem fefellit. Aeſculapium agnovi, vulnerum, magnis medicis intactorum, cura occupatum. Herculem agnovi, difficultates hydra pejores ex Æneide tollere conantem.

Ut vero (multa enim fuit lectæ repetitio paginæ, multa adſeſſio) penitius vulnera & difficultates mente penetravi, diſſimulare non poſſum, quam minime me pati potuerim, qui novem Virgilio plagas intentari, novem ſcopuloſas & lubricas objici difficultates perſvaſum haberem. Vim feci intelligentiæ, ut aſſenſu quomodocumque excitato meum ſtuporem, quam tanti Ariſtarchi temeritatem: meum ἀνθολκῆς ſtudium, quam tantæ ſpongiæ licentiam accuſarem.

At